DE TITVLO CRVCIS CHRISTI DOMINI LIBELLVS.

AVTORE DIEGO GVTIERREZ Carcaboſenſi, Collegiali inſignis Collegij San-ctæ Crucis de Cañizales, & in Salmanti-cenſi Academia Linguæ Græcæ Cathedrario.

AD ILLVSTRISSIMVM D. D. Fr. EN-riquum Enriquez, Eccleſiæ Placentinæ Epiſ-copum digniſsimum ſcriptus, ſub cuius patrocinio in lucem prodit.

BIBLIOTECA N.LE VITTORIO EMANUELE ROMA

CON LICENCIA.

Impreſſo en Salamanca en la Imprenta de Antonio Vazquez. *Anno Domini* M. DC XXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO D.D.Fr. ENRRIQVO Enriquez, Placentino præſuli Regioq́ue Conſiliario. Diegus Gutierrez, S.

LIbellus hic de Titulo Crucis Chriſti Domini præſul Regali Sacerdotio & mitra Illuſtriſsime te patronũ petit: quia, quæ in ſuo titulo explicat, & in Chriſto tãquam in exẽplari agnoſcit, miſericordiam ſcilicèt, genus electum, & Regale Sacerdotium, ea omnia in te, tamquam in viua Chriſti imagine contemplat. Oleum effuſſum eſſe nomẽ Chriſti ſponſa dixit; quod nomen eſt Meſias: nam, vt aliquis Oleo miſericordiæ dicatur vnctus, Oleo effuſſo opus eſt. Tuum autem nomen Paſtor bone, atq́ue miſericors tuæ in pauperes liberalitati congruit maxime: En, *ſi quidem Hebræis fontem ſignificat;* Riq, *autem eſt effundere: quare fons, & effuſsio nomen tuum. Libellus autem noſter videns Titulum Crucis indictione* IESVS *ſignificare miſericordiam Chriſti benefacientis inimicis, dum pro illis orat; & genus electum, vt pote de domo*

Dauid,

Dauid, latenter in dictione Nazarenus *denotare, atque in cæteris Regnum Chriſti oſtendere; videns etiam te clementia, generis nobilitate, & Sacerdotio Regali hæc omnia dicere; ad te tamquam ad viuum Chriſti Titulum confugit ſuppliciter exposcens, vt fontem patrocinij, & Oleum miſericordiæ in nos effundas.*

PRÆFATIO AD Lectorem.

IOannis, 19. Hæc ſunt verba: *Scripſit autem, & Titulum Pilatus, & poſuit ſuper Crucem. Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus Rex Iudaorum.* Et Paulo poſt inquit: *Et erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.* Circa hæc verba, quæ facilia videntur; & tamen difficultates multas continent, quæ non ſolum iucundæ, ſed etiam ſcitu dignæ ſunt, breuiter diſputabimus.

QVAESTIO I.

De cauſis externis huius Tituli.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Pilatum mouerit Romanorum mos, vt hunc Titulum Cruci affigere iuberet?

NOTANDVM Eſt Romanos conſueuiſſe Titulum ponere damnatis, qui cauſam condemnationis cõtineret. Ita factum eſt in Attali martyrio, vt refert, Euſeb. lib. 5. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 2. dicit enim: Cúmque circumactus fuiſſet in Amphitheatro Titulo ſe præcedente, in quo ſcriptum erat: *Attalus Chriſtianus, &c.* Vide Suet. in Caligula, cap. 32. & in Domit. cap. 10.

Probatur: Ergò, pars negatiua, quia ſi Pilatus more Romanorum Titulum Cruci affixiſſet, idem faceret Crucibus Latronum; at hoc non fecit, ergo nec illud. Reſpondebis negando minorẽ, quia poſt quam Helena Chriſti, & Latronum inuenit Cruces, non poterat dig-

noſcere, quæ ex illis eſſet Crux Domini, vt ait Nicephorus, lib. 8. Hiſtor. Eccleſiaſt. capit. 29. ergo ſignum eſt, quòd etiam Cruces Latronũ habebant Titulos. Sed contra, quia Nicephorus dicit inuentum fuiſſe Titulum à Cruce Domini abſciſum; ſi vero Latronum Cruces Titulos habuiſſent, etiam inuenti fuiſſent, vel eſſet aliqua eorum notitia apud Auctores. Reſpondeo ad argumentum conſueuiſſe Romanos aliquibus damnatorum Titulos ſuæ damnationis cauſam continentes ponere, non tamen omnibus; nec enim Petrus cum Titulo fuit Romæ Crucifixus, aut Paulus eodẽ modo iugulatus.

Secundo probatur; raró admodum tituli affigebantur damnatis apud Romanos, vt martyrum Hiſtorias, & Romanorum in Chriſtianos perſequtiones legenti facile patebit. Ergo non fuit hic mos apud Romanos. Reſpondeo etiam apud Romanos fuiſſe conſuetudinem celebrãdi ludos ſæculares poſt centenos annos, & claudendi tẽplũ Iani pacis tẽpore, & tamẽ, fuit ſufciens vt iſtorum dicerentur eſſe cõſuetudines, quòd ludi ſeculares raró admodũ celebrarẽtur; & quòd ter tantũ ab vrbe condita vſque ad Auguſti tempora clauſum fuerit Iani templum.

Concluſio eſt Pilatum more Romanorum id feciſſe. Probatur, quia quando illorum Iudi

ces

:es volebant cauſam condemnationis manifeſtare Populo, id faciebant. Pilatus vero cauſam mortis Chriſti manifeſtare voluit, & erat Romanus: ergo more Romanorum affixit Cruci Titulum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Pilatus poſuerit Chriſto Titulum, vt reo?

NOtandum eſt de quattuor criminibus fuiſſe accuſatum Chriſtum à Principibus Sacerdotum, & populi ſenioribus, vt notat Caiet. quæſt. 4. primi ientaculi. Ex quibus primum fuit de non dando tributo Cæſari; ſecundum, ſeductorem eſſe populi, tertium Dei filium ſe facere, quartum vero fuit ſe facere Regem.

Probatur primo pars negatiua, ſi Titulus Crucis impoſitus fuit Chriſto, tamquam reo, maxime, quia Regem ſe faciebat: ſed hæc ratio eſt nulla, ergo non fuit poſitus Titulus, vt reo. Probatur minor, quia Chriſtus dixit Ioan. 18. regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, ergo non ſe faciebat Regem eo modo, quo accuſabatur.

tur. Præterea paulo infra dixit Pilatus Iudæis: *Ego nullam inuenio in eo cauſam*, ergo iudicauit Chriſtum Innocentē. Reſpondeo quod etiam ſi regnum Chriſti non eſſet de hoc mundo, accuſabatur tamen, ac ſi vellet habere regnum in hoc mundo, & ideo potuit iniuſte condemnari ob iſtam cauſam; & quamuis Pilatus Chriſtum innocentem iudicauit; voluit tamen iniuſtam ſententiam Tituli impoſitione colorare.

Secundo probatur: in prædicto titulo non eſt affirmatio, aut negatio; ergo nō eſt alicuius delicti manifeſtatio; hæc enim ſine affirmatione, aut negatione fieri non poteſt. Reſpondeo rerum omnium Titulos æquiualere propoſitionibus affirmatiuis: v. g. *Geneſis*, ideſt hic eſt liber Geneſis; *Mercurius*, ideſt hæc eſt ſtatua Mercurij; *Ad Zoilum*, ideſt hoc Epigramma ſcribitur ad Zoilum; *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*, ideſt hic eſt Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Et ita dicit Matth. cap. 27. *& impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam: hic eſt Ieſus Rex Iudæorum.*

Concluſio eſt Pilatum nō impoſuiſſe Chriſto Titulum, eo quod iudicaret ſecundum propriam conſcientiam fuiſſe reum. Voluit tamen oſtendere ſe iuſte illum morti tradere; & ideo tamquam reo, licet eſſet ſuo videri innocens,

Titulum

Titulum ei impoſuit. Probatur, quia non appa ret alia ratio Titulum iſtum imponendi.

ARTICVLVS III.

Vtrùm conuenientius fuerit hunc Titulum Chriſto ſuperponere, quam alium?

NOtandum eſt Pilatum potuiſſe etiam ſu per ponere Cruci vnum ex his Titulis; Ieſus Nazarenus negans tributa Cæſari, Ieſus Nazarenus ſeductor Iudęorum, Ieſus Na zarenus filius Dei.

Probatur ergo pars negatiua; quia de nullo ex quattuor criminibus ſupradictis prætérquã de crimine regni ſe excuſauit Chriſtus, vt pate bit legenti Euangelia; ergo conuenientius af- figi poſſet alius Titulus, quàm iſte, qui affixus fuit. Reſpondeo quòd cùm Pilatus Chriſtum innocentem dixiſſet, nullum ex dictis Titulis conuenienter ponere potuit Chriſto, vt reo. Quia vero Pilatus volebat ſe iuſtificare coram populo, & poſtea venturo Præſide; ille Titulus fuit conuenientior, qui cauſam probabiliorem continebat; & melius excuſare poterat Pi

 latum

latum; & quia Chriſtus dixit *Regnum meum*, & ad interrogationem factam, *Ergo Rex es tu?* Reſpondit Ieſus: *tu dicis*, quia *Rex ſum ego*; videbatur conuictus eſſe de crimine, licèt aliud Pilatus iudicaret; ideo hunc Titulum maluit Cruci affigere.

Secundo probatur; maius peccatum eſt blaſphemia, cùm ſit contra Deum, quàm regni ambitio, quæ eſt contra homines: ergo conueniẽtior Titulus eſſet; Ieſus Nazarenus Filius Dei. Reſpondeo Pilatum noluiſſe iudicare de rebus ad legem Moſaicam pertinentibus, vt qui Deũ Iudæorum ignorabat; nec etiam id erat eius munus, ſed in cauſis profanis, vt alij Præſides, & Proconſules ſententiam ferre.

Concluſio eſt nullum ex alijs titulis aptiorem eſſe ad intentum Pilati quia crimen de tributo negato Cæſari erat falſum; dixerat enim Chriſtus, Luc. 20. *Redite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*; crimen vero de ſeductione populi non erat morte dignum; de crimine autem blaſphemiæ non curabat: & ideo crimen affectati regni expreſſit in hoc titulo, Auguſt. tamen ſuper Pſalm. 56. ait ad exprobrandam frontem Iudęorum hunc Titulum poſuiſſe. Idem ſentit Chryſoſt. hom. 84. in Ioã.

(.?.) ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ex particulari Dei ordinatione fuerit hic Titulus impoſitus?

NOtandum eſt ex D. Thom. 1. p. q. 113. art. 2. in corpore diuinam prouidentiam ad aliqua ſe habere principaliter, ad alia vero minus principaliter: principalius enim ſe habuit prouidentia Dei circa Conceptionem Chriſti, quam ſe habet circa Conceptionem paſſeris.

Probatur ergo pars negatiua. Nobis non cõſtat de hac particulari prouidentia, aut principali Dei ordinatione circa impoſitionẽ huius Tituli, ergo non eſt dicendum temere ex Dei particulari ordinatione fuiſſe impoſitum. Reſpondeo negando antecedens; quia cùm Dei prouidentia ſe habeat circa res, ſicut ſunt ipſæ, bene ſequitur quod circa res maioris momenti principalius ſe habebit Dei ordinatio.

Secundo probatur, quia ſecundum D. Tho. ſupra principalius ſe habet diuina prouidentia circa res incorruptibiles, quàm circa corruptibiles; ſed Titulus Crucis eſt res corruptibilis; ergo

ergo non ſuit impoſitus ex particulari Dei ordinatione. Reſpondeo quod quamuis Titulus hic ſit corruptibilis; iam enim ex parte eſt corruptus, vt ait Hector Pin. in Dan. c. 2. eſt tamē medium ad ſignificandam rem æternam, Chriſtum ſcilicet Regem Iudæorum.

Concluſio eſt hunc Titulum ex particulari Dei ordinatione fuiſſe impoſitum: quia prouidentia Dei particularius verſatur circa illa media, quæ ordinantur ad res principaliores; & ideo principaliter voluit Deus vel ex ore gentilium verba ſumere ad teſtificādum æternum Chriſti regnum.

QVAESTIO II.

De materiali cauſa huius Tituli.

ARTICVLVS I.

Vtrùm tabula Tituli fuerit ex Oliua?

NOtandum eſt Crucem Chriſti ex quattuor lignis, & ſecundum alios ex quinq; fuiſſe compoſitam. Pes enim, in quo fixa erat, fuit de cedro; vt dicit Magiſter Petrus Comeſtor, cap. 172. ſuper Hiſtor. Euang. & ſtipes

pes de cupreſſo, lignum tranſuerſale de palma, lignum vero, in quo pedes Chriſti nitebantur, & tabula Tituli non eſt certum, de qua arbore fuerint.

Probatur ergo pars negatiua, quia, vt ait Beda in collectaneis Titulus Crucis fuit ex buxo; eo quòd buxeæ Tabulæ, vt pote aptiores, vt in eis inciderentur litteræ, fuerunt in frequẽtiſsimo vſu apud antiquos ante vſum chartæ, vt ait Ambroſ. lib. 3. hexam. cap. 13. Reſpondeo quòd in rebus, quæ verificari debent ex Hiſtoria, non valet hic diſcurſus; probabile eſt fuiſſe; ergo fuit.

Secundo probatur ex illo verſi. gloſ. Clem. 1. de ſum. Trin. lib. 1. titul. 1. *Ligna Crucis Palma, Cedrus, Cupreſſus, Oliua*: quia Oliua tardius corrumpitur quam Palma; ergo potius dicendum eſt fuiſſe ex Oliua lignum, in quo pedes Chriſti nitebantur, & Titulum fuiſſe ex Palma, cum iam ex parte ſit corruptus, quàm è cõtra. Reſpondeo quòd quamuis aliquæ Oliuæ ſint valde permanentes; communiter tamen loquendo diuturnior eſt Palma; quia hæc incipit ferre fructum, quando Oliua ſeneſcit. Cæterũ licet obiectionis aſſumptũ verum eſſet, adhuc eſſet inualida.

Concluſio eſt conuenientius dici in re dubia

bia hanc Tabulam fuiſſe ex Oliua , per quam ſignificatur miſericordia : nam Chriſtus Dominus eſt adeo miſericors; vt ipſum eius dominari ſit vere miſereri, & ita ad hoc ſignificandum in eadem tabula, vbi regium eius dominium continetur, paterna eiuſdem miſericordia deſignatur. Hanc ſententiam amplectitur auctor compendij Theologici, lib.4.cap.21.

ARTICVLVS II.

Vtrùm conueniens fuerit hanc Tabulam fuiſſe quadrangulam?

NOtandum eſt ex Euclide in definitionibus, lib. 1. in hoc diſtingui quadratum à quadrangulo, quòd quadratum componitur ex quatuor lineis æqualibus, & ex quatuor angulis etiam æqualibus, vt patet in hac figura □ : quadrangulum vero, licet habeat quattuor angulos rectos, ſivè æquales; non tamen habet omnes lineas æquales, ſed ſolum illas, quæ ſunt ex aduerſo oppoſitæ, vt in hac figura apparet.



Probatur ergo pars negatiua; quia hæc Tabula

bula debuit habere tantum longitudinis,& latitudinis, quantum ſatis eſſet, vt tribus lineis ſcriberetur iſte Titulus:erat enim ſcriptus Hebraicè,Græcè,& Latinè. Sed eadem latitudo, quæ neceſſaria fuit ad tres lineas cum ſuis ſpatijs intermedijs,ſufficit etiam ad longitudinem cuiuſuis lineæ: quia ſingulæ ex tribus lineis quattuor ſolum dictiones habent; ergo tanta debuit eſſe latitudo huius tabulæ, quanta fuit eius longitudo; ergo quadratam eſſe oportuit, & non quadrangulam. Negabis minorem. Sed contra,quia prima dictio Tituli, ſcilicet IESVS, vnica tantum littera ſcripta fuit in Titulo Hebræo, & Latino, & in Græco duabus primis huius nominis,vt patet in deſcriptione, quam affert Magiſter Pet. Med. lib. 2. de Victoria Crucis,cap. 24. ergo cùm ſolum maneant tres dictiones in qualibet linea; non fuit neceſſaria maior longitudo,quam latitudo Tabulæ. Reſpondeo adhuc fere duplo maiorem eſſe longitudinem,quàm ſit latitudo huius Tabulæ;vt patet in citata deſcriptione;vbi ſpatium,quod eſt inter quas libet lineas,vnius litteræ tantum eſt cappax.

Secundo probatur, quia, vt ait Nicephorus, lib. 8. Hiſtor. Eccleſi. cap. 29. Pilatus poſuit hāc Tabulam ſupra caput Chriſti in morem colum-

næ:

næ: ergo non fuit quadrangula. Cum autem hic Titulus cum omnibus, quæ in ſe habet, ex particulari Dei ordinatione fuerit factus; ſequitur, quòd non fuit conueniens habere hanc Tabulã aliã figurã ab ea, quã habuit. Reſpõdeo Ioãnẽ Langũ interpretẽ Nicephori minus diligẽter hunc locum è Græco exemplari traduxiſſe. Quare ita in Latinam Linguam eſt vertendus: *Et Tabula præterea alba inuenta, in qua diuerſis litteris Pilatus Regem Iudæorum ſcripſerat: eaque ſupra caput Chriſti collocata in morem lapidis Titularis Crucifixum illum Iudæorum eſſe Regem promulgarat*. Ex quo nihil aliud ſequitur, præter quã quod ſicut Titulus Crucis fuit Epitaphium Chriſti; ita Tituli Tabula fuit velut lapis titularis, qui Hiſpane dicitur *laude*.

Concluſio eſt conueniens fuiſſe, vt hæc Tabula eſſet quadrata vel quadrangula propter ſignificationem. Significat enim meo videri Hiſtoriam Euangelicam; quæ, cùm ſit vna, in quattuor Euangeliſtis per quattuor angulos æquales deſignatis comprehenditur: nec amplius habet hæc Hiſtoria, quàm Ieſum Deum, Ieſum hominem, & Ieſum Regem Iudæorum. Omnia enim, quæ ſunt in quattuor Euangelijs ad hæc quattuor ordinantur. Cæterum conueniens fuit, vt eſſet quadrangula propter ſcri-

pturam

pturam Tituli, vt dixi in ſolutione primę obiectionis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm conueniens fuerit litteras Tituli incidi in hac Tabula?

NOtandum eſt tribus modis ſcripſiſſe antiquos in ligneis Tabulis. Primus fuit rarior, quia difficilior, ſcilicet per inciſsionem litterarum in profunditate Tabulæ; ſecundus fuit communior, quia facilior, ſcilicet pingendo, & formando litteras atramento, & calamo; tertius fuit etiam valde vſitatus propter eādem rationem, & fuit exarando characteres in Tabulis ceratis, & hoc faciebant ſtylo, ſivè radio.

Probatur ergo primo non fuiſſe inciſas litteras huius Tituli, quia, vt ait Nicephorus in loco allegato ſupra in argumento ſecundo, Tabula erat alba; ſed non erat neceſſarium Tabulam dealbare, ſi litteræ per inciſionem erant ſcribēdæ: ergo ſcriptæ fuerunt atramento. Quod autem in earum ſcriptura factum eſt, ex Dei ordinatione factum eſt: ergo conueniens nō fuit, vt hæ litteræ per inciſſionem ſcriberētur. Reſ-

pondeo quòd etiam ſi hæ litteræ fuiſſent per inciſionem factæ, potuit de albari Tabula, & cauitas litterarum de nigrari, vt melius legerentur.

Secundo probatur; quia non eſt credibile, vt, quod facile cum atramento fieri poterat, & tam breui tempore factum eſt, per inciſionem cum difficultate fieret. Non ergo fuit conueniens, vt inciderentur litteræ huius Tituli. Reſpondeo credibile eſſe, vt etiam cum difficultate fiat id, quod particularis Dei prouidentia determinat.

Concluſio eſt conueniens fuiſſe, vt hæ litteræ inciderentur in tabula propter ſignificationem. Illa enim, quæ Deus vult fixa manere in noſtris mentibus, per inciſionem ſcribit. Ita fecit, vt refert ex Rabbi Salomon, Nicolaus de Lyra ſuper cap. 32. Exod. quando in lapideis Tabulis decem decalogi præcepta ſcripſit, & ita factum eſt in hoc titulo, vt refert Medina, lib. 2. de Victoria Crucis, cap. 24.; vt inciſio daret litteris perpetuitatem, & earum denigratio cum Tabulæ de albatione claritatem. Quod non eſt levè argumentum ad probandum ex particulari Dei ordinatione factum eſſe hunc Titulum.

ARTI-

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm conueniens fuerit, vt prima ex Tribus lineis Hebraicè ſcriberetur, & ſecũda Græcè, & tertia Latinè?

NOtandum eſt in Titulo Crucis fuiſſe tres lineas, vt ait Toletus, Ioann. 19. idem ſignificãtes. Incuria vero ſcriptoris factum eſt, vt Titulus Græcus, & Latinus à dextera inciperent ſiniſtram verſus; ſicut ſcribunt Hebræi, potius quam iuſſu Pilati, vt ait Medina lib. 2. cap. 24. in quo Titulum ponit ita ſcriptũ.

Probatur ergo primo pars negatiua; quia cúm per iſtum Titulum voluerit Deus regnũ Chriſti mundo oſtendere, conuenientius erat, vt prima linea ſcriberetur Lingua Græca, quæ vniuerſalior erat illo tempore. Reſpondeo rationem eſſe congruentem; ſi tunc temporis in Ieruſalem eſſet vniuerſus; at vniuerſa fere ciuitas Iudæorum erat.

Secundo probatur; ſi propter aliquam rationem dici poteſt primum ex tribus Titulis Hebraice ſcriptum fuiſſe, maximè, quia in verbis ſupra citatis, Ioann. 19. primo loco fit mentio

Tituli Hebraici:nã dicit Ioannes, *& erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè*; ſed hæc ratio eſt nulla, quia Luc. 23. dicitur; erat autem, & ſuperſcriptio ſcripta ſuper eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: ex illo ergo teſtimonio non ſufficienter colligitur intentum. Reſpondeo quod quamuis omne quod in Titulo eſt conuenienter ſit factum, quatenus eſt ex Dei ordinatione; nos tamen non colligimus ordinem Titulorum ex dicto loco Ioann. ſed ex auctoritate illorum, qui Titulum viderunt, & ordinem Titulorum ſignificare volentes affirmant Titulum Hebræum eſſe primum, inter quos eſt Arias Montanus relatus à Medina, lib. 2. cap. 24. Lucas vero ſolum intendit dicere, quibus linguis fuerint ſcripti hi Tituli; non vero quo ordine.

Concluſio eſt conueniens fuiſſe, vt primus Titulus Hebraicè ſcriberetur. Nam duo inter alia intentabat facere diuina prouidentia per hunc Titulum: ex quibus primum ſtatim faciendum erat, videlicet confundere Iudæos, cõtra quorum voluntatem ipſæ Hebræorum litturæ Ieſum Regem Iudæorum manifeſtant. Alterum vero ſcilicet perſuadere gentibus Chriſtum eſſe Regem Iudæorum eo modo, quo fuit, poſtea prædicatione Apoſtolorum faciendum erat:

erat: Nec etiã myſterio vacare putat Baronius, Anno Chriſti 34. num. 119. Titulum Latinum in vltimo loco fuiſſe poſitum; per hoc enim primatus Eccleſiæ Latinæ deſignatur, eo quod in recumbendo, ſedendo, & procedendo vltimus locus erat præcipuus ad quod videtur alludere Martialis 15. Epigrammate lib. 5. ait enim:

Sedere primo ſolitus in gradu ſemper.
Tunc cùm licebat occupare Mãneius,
Bis excitatus, terque, tranſtulit caſtra,
Et inter ipſas pene tertius ſellas,
Poſt Caium, Luciumque conſedit, &c.

Vbi exponit Domitius *in primo gradu*, ideſt decimoquarto; quia loquitur de quatuordecim ordinibus ſubſelliorum, è quibus non licebat plebeijs ſpectare ludos: Maneius autem vltimum ordine, ſed dignitate primum, vt videretur Eques occupabat.

ARTICVLVS V.

Vtrùm conueniens fuerit, vt hic Titulus tribus linguis ſcriberetur?

NOtandum eſt in Ieruſalem, quæ tempore Chriſti Domini fuit vna ex maximis

 Aſiæ

Digitized by Google

Aſiæ ciuitatibus, multos fuiſſe qui negotiorum cauſa ad eam frequenter concurrebant, vt colligitur ex act. cap. 2.

Probatur ergo pars negatiua; quia ſi tribus linguis ſcriptus eſt Titulus, vt omnibus palam fieret cauſa mortis Chriſti, cum in Ieruſalem eſſent alij multi præter Hebræos, Latinos, & Græcos, vt colligitur ex eo, quod in die Pentecoſtes ſequenti inuenti ſunt in Ieruſalem ex pluribus, quam ſex decim nationibus, ſequitur, vel quod pluribus linguis ſcribendus erat Titulus, vel ſufficere, vt vna ſolum ſcriberetur. Reſpondeo intentum Pilati fuiſſe, vt cito mortis cauſa veniret in omnium notitiam, ne propter Chriſti innocentiam tumultus fieret in populo. Cum vero fere omnes, qui non erant Hebræi, aut Latini, Græcorum, vel Hebræorum linguis etiam loquerentur; quia Hebræa erat nota Syris, & Chaldęis, propter affinitatē; Gręca vero cæteris, ſcilicet Parthis, Medis, Phrygijs, & alijs, cum eſſet valde generalis, vt colligitur ex plus quam ſex decim dialectis, quas habuit; ideò Pilatus his tribus Linguis voluit ſcribi Titulum.

Secundo probatur; ſufficiens erat, vt Titulus ſcriberetur Hebraicè, & Græcè; quia Latinis erat tunc temporis tam nota Lingua Græ-

Digitized by Google

ca,quàm nobis eſt Latina:ergo ſuperfluus erat Titulus Latinus. Reſpondeo non omnes Latinos, qui tunc erant in Ieruſalem ſciuiſſe loqui Græce, præſertimque indocti, vt illi, qui Chriſtum Crucifixerunt. Præterea etiam Pilatus, vt Romanus Latinæ Linguæ in hoc Titulo noluit obliuiſci.

Concluſio eſt conueniens fuiſſe, vt hic Titulus tribus dictis Linguis ſcriberetur propter duas rationes. Prima eſt, quia numerus ternarius continet perfectionem loquendo non de propria, ſed de perfectione lato modo, quia eſt primus numerus habens principium, medium, & finem; & ideo vocatur propriè numerus à Pſello in Arithmetica, & ſecundum Græcos, qui numerum dualem à plurali ſeparant, eſt principium multitudinis, eſt etiam primus exceſſus dualitatis, primas fert inter numeros, & eſt myſterioſiſsimus; vnde ait pharmaceutria apud Virg. Eclo. 8.

Terna tibi hæc primum triplici diuerſa colore,
Licia circumdo, terque hæc altaria circum,
Effigiem duco; numero Deus impare gaudet.

Vbi exponit Nebriſſenſis, *numero impare, idest ternario.* Et ideo dicit Ariſtoteles, 1. cœl. cap. 1. loquens de longitudine, latitudine, & profunditate hæc verba: *atque præter has nulla alia pror-*

ſus eſt magnitudo; propterea quod ipſa tria omnia ſunt, & ter ipſum omni ex parte. Nam, vt Pythagorici etiam inquiunt, ipſum omne, ac omnia tribus ſunt definita: finis enim, medium, atque principium ipſius omnis numerum habent: hæc autem Trinitatis. Qua propter hoc â natura numeroſum pto perinde, atque quadam illius lege, & in Deorum ſacrificijs celebrandis (tempore Ariſtotelis colebantur Dij gentium hymnis, adoratione, & oblatione) *vti ſolemus*. Hæc Ariſtoteles. Ideo autem tantam maieſtatem hic numerus habet, quia Trinitatis ſanctiſsimæ eſt imago; quia ſicut Pater eſt fons Trinitatis, ita vnitas eſt fons Ternarij ſicut aliorum numerorum, & ſicut Pater cognoſcendo ſuam eſſentiam gignit filium, ita vnitas in ſe ipſam ducta gignit dualitatem, & ſicut dualitas, quæ eſt pars ternarij, reſpicit tertiam vnitatem tanquam ternarij complementum; ita Pater & Filius referuntur ad Spiritum ſanctum, qui eſt complementum Trinitatis. Propterea tot cruces ternæ fiunt in miſſa, & ter repetitur ternarius in Kyrie eleyſon; tres etiam Cruces facimus cum nos Cruce ſignamus, & alia multa. Videatur Gryphus Auſonij, & ea quæ ſuper illum docte annotauit Brocenſis.

Conueniens ergo fuit, vt tribus Linguis tam

insigni.

inſignibus, vt erant iſtę illo tempore, quę propter numeri ternarij perfectionem ſupplent vicem omnium, vt ait Caiet. in fine ientaculi. 1. vocaretur Chriſtus Rex Iudæorum. Conueniens etiam fuit, vt non multiplicemus huius quæſtionis articulos, vt ter repeteretur nomen Ieſus, ter nomen Nazarenus, & ter Rex Iudęorum, quoniam à ſancta Trinitate, & eius amore datus eſt nobis Ieſus, & ſanctæ Trinitatis opera, & ſapiētia conceptus fuit in Nazareth, & ſanctæ Trinitatis potentia natus fuit in Bethlehem Rex Iudæorum. Prętere a omnia, quę infra dicentur ſignificare iſtæ tres dictiones huius tituli, ſuperlatiuè interpretanda ſunt: nā propter ternarij perfectionem ſuperlatiua nomina per eum ſignificantur, vt ter beatus, ideſt beatiſsimus; qua phraſi vtuntur etiam Galli noſtro tempore.

In ſuper prima littera iſtorum trium titulorum eſt I. quæ apud Hebræos, & Græcos, & apud omnes nationes, quæ vtuntur notis Arithmeticis, quas inuenerunt Gothi, & vocantur Hiſpanè *Letras de guariſmo*, valet decem, qui numerus eſt adeo perfectus, vt dicat Ariſtoteles problem. 3. ſect. 15. ipſum continere omnes numerorum ſpecies, vt parem, quadratum, quadrantalem, longum, planum, primum, com-

poſitum. Eſt etiam fons, & principium numerorum, quia componitur ex vnitate, binario, ternario, & quaternario, in quibus tanquam in ſujs principijs vel formaliter cõtinentur etiam omnes numerorum ſpecies. Eſt ergo denarius numerus perfectus loquendo de perfectione lato modo; & ita Ieſus Nazarenus ſignificatur perfectiſsimus, & Rex maximus Linguarum Trinitate, dictionum Trinitate, Iotæ Trinitate, & trina repetitione nominis Ieſu, & Nazareni, & Regis Iudæorum.

Denique littera I. triplicata, vt refert ex antiquis Rabbinis Pater Vazq. 1.p.diſp.108.numer.19. apud Chaldæos ſignificabatur Trinitas ſanctiſsima; pũctum vero camets ſub tribus iotis eſſentiæ ſignificabat vnitatẽ. Quæ omnia cõtinebantur hoc modo



intra circulum, qui eſt figura perfectiſsima; ſine principio, ſine fine, ſine angulis, omnium capaciſsima, & vnius lineæ, à cuius centro ad circum ferentiam omnes lineæ ſunt æquales. In quibus omnibus mirabilem diuinitatis imaginem præ ſe fert. Quia ergo incredulis Iudæis nota erat vna Deitas, & ignota Trinitas, ad eorum confuſionem ommiſſa circulari tabulæ figura ter repetitur Iod in trium linearum huius tituli principio,

principio, quo etiam oſtenditur hanc Trinitatem non eſſe deriuatam, vt illæ quæ reperiuntur in tribus ſpirituum hierarchijs, & in cuiuslibet hierarchiæ ordinibus, in potentijs animæ, & virtutibus Theologicis, & in alijs multis, ſed eſſe Trinitatem principalem, & omnium aliarum principium, quia Iod eſt principium litterarum Hebræarum.

Secunda ratio, propter quā fuit conueniens, vt dictis tribus Linguis ſcriberetur iſte titulus, eſt quia Deus per eum voluit confundere Synagogam Iudæorum; & inſtruere Eccleſiam Græcam, & Latinam.

QVAESTIO III.

De cauſa formalis huius Tituli.

ARTICVLVS I.

Vtrùm hic Titulus ſignificet contrariū eius, de quo accuſabatur Chriſtus?

NOtandum eſt nomen Ieſus ſignificare Saluatorem; Nazarenus vero iuxta varios modos, quibus Hebraicè ſcribitur, ſignifi-

ſignificat ſeparatum, floridum, coronatum, ſanctificatum, vel cuſtodientem.

Probatur ergo primo pars negatiua; Chriſtus enim accuſatus fuit, quia ſe faciebat Regem: ſed Titulus hoc continet; ergo non ſignificat contrarium. Reſpondeo accuſationem Iudæorum in hoc conſiſtere: hic ſe facit Regem noſtrum, & non eſt Rex noſter, cuius contrarium videtur ſignificare Titulus.

Secundo probatur, quia in hoc titulo, vel Ironice loquitur Pilatus, cum dicit Chriſtum Regem Iudæorum, vel ſtupidus eſt Titulus. Nec valet dicere, vt ſupra citauimus ex Chryſoſt. Homil. 84. in Ioann. Pilatum exprobraſſe frontem Iudæorum, qui ſuum Regem perſequebantur; quia hoc modo ſuam frontem exprobrabat etiam Pilatus ſciens Chriſtum eſſe Regem Iudæorum: & eum, quia ſe faciebat Regem morti tradens. Non ergo proprie, ſed potius Ironice loquutus eſt Pilatus; atque adeo Titulus æquiualet huic propoſitioni: Chriſtus non eſt Rex Iudæorum, quæ non ſignificat contrarium eius, de quo fuit accuſatus Chriſtus. Ironicus vero loquendi modus denotat Chriſtum ſe feciſſe Regem, & propterea crucifixum fuiſſe. Reſpondeo nos non quærere an Titulus in ſenſu, quo loquutus eſt Pilatus ſignificet

nificet contrarium eius , de quo accuſatus eſt Chriſtus: ſed potius in ſenſu, quo voluit Spiritus ſanctus intelligi. Et hoc modo, ſi accuſatus fuit, eo quòd cum non eſſet Rex, ſe faciebat Regem, bene poteſt ſignificare contrarium dicendo Chriſtum Regem.

Concluſio eſt Titulum ſignificare contrarium eius, de quo accuſatus fuit Chriſtus. Probatur, quia accuſatus fuit de affectatione regni; qui autem regnum ſibi non debitum affectat, eſt tyrannus : ſed Titulus dicit Chriſtum eſſe Saluatorem, eſſe ſanctificatum, Dei præcepta cuſtodientem, eſſe iam ante quam accuſaretur coronatum, & eſſe ſeparatum à mundi huius illecebris, & voluptatibus, ſicut Nazarei ſeparabantur à vino ; ergo non eſt tyrannus, qui eſt ſalus mundi, & eſt ſanctiſicatus; ergo non regnum affectat, qui iam eſt coronatus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Chriſtus fuerit Rex, vt alij Reges Iudæorum?

NOtandum eſt alios Reges Iudæorum per vnctionem, & ſortem, vel ſucceſsionem

nem conſtitutos fuiſſe in regia dignitate. Primum inuenietur 1. Reg. 10. ſecundum vero, 3. Reg. 1.

Probatur ergo primo pars affirmatiua, quia Reges Iudæorum per electionem diuinã, quæ ſignificatur, vel per vnctionem, vel per ſortẽ, conſtituebantur; quod colligitur ex verbis Sam. 1. Reg. 10. vbi ait ad populum; certe videtis, quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo: Sed etiam per diuinam electionem Chriſtus eſt factus Rex Iudæorum, ergo fuit Rex, ſicut alij. Reſpondeo Chriſtum non fuiſſe proprie electum: quia electio præſuponit deliberationem, qua comparãtur illi ex quibus eſt vnus eligendus: Chriſti autem ad cęteros mortales nulla eſt cõparatio.

Secundo probatur, ſaltim Chriſtus fuit Rex Iudæorum per vnctionem, vt alij Reges. Nec valet eum diſtinguere à cæteris, quia in propria venit, & ſui eum non receperunt: quia nihilominus erat Rex Iudæorum. Præterea, quia etiam Iſraël reiecit Roboam. 3. Reg. 12. Reſpõdeo vnctionem Chriſti fuiſſe ſpiritualem, & excellentiorem perfectione, duratione, & poteſtate.

Concluſio eſt, Chriſtum non eſſe Regem Iudæorum, ſicut alij, primo, quia cæteri non fuerunt

runt nati Reges Iudæorum: Chriſtus vero natus fuit Rex Iudæorum : & erit vſque ad conſummationem ſæculi. Cæteri vncti fuerunt Oleo Oliuarum, Ieſus vero Oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſignificent aliquid Litteræ Hebrææ in hoc Titulo?

NOtandum eſt in Titulo Hebræo duodecim inueniri ſpecies Litterarum, quæ ſecundum interpretationes Alphabeti Hebraici, quas fecerunt D. Hieron. & Alfonſus Zamorenſis, lib. 1. ſuæ Artis Hebrææ, cap. 4. varias habent ſignificationes.

Daleth, ſignificat paupertatem, vel Tabulam.

He, ſignificat eſſe, ex, ecce, iſta.

Vau, principium, caritatem, &.

Iod, laudem, manum, cõfeſsionẽ, principiũ.

Caph, humiliationẽ, palmam, manum, nubem.

Lamed, doctrina, diſciplinam, cor.

Mem, aliquid, ex his, ex ipſis.

Nun,

Nun, filiationem, æternum, progeniē.
Nghain, occulū, fontem.
Tſade, iuſtitiam, iuſtum.
Res, paupertatē, principium, caput.
Sin, mutationem, vel ſecundationem.

Prima dictio Tituli, quæ eſt *Ieſus*, habet quattuor conſonantes, quæ ſunt Iod, Sin, Vau, Nghain. Secunda dictio *Nazarenus*, habet quinq; & ſunt Nun, Vau, Tſade, Res, Iod. Tertia dictio *Rex*. habet tres, ſcilicet Mem, Lamed, Caph. Vltima dictio eſt *Iudæorum*, quæ cum præcedenti quoad ſenſum facit vnam dictionem, habet ſex conſonantes, quę ſunt Iod, He, Vau, Daleth, Iod, Mem. Ex his omnibus litteris, & ſuis punctis, quæ vocaliū vices obtinent apud Hebræos, componitur hic Titulus.

o
IeSVaNGH, NVTSeRI, MèLEC,
IeHVDIM.

Probatur ergo primo pars negatiua; quia licet quælibet ex iſtis litteris ſignificet ea, quæ ſupradicta ſunt, attamen ſimul ſumptæ nihil aliud videntur denotare, quàm multarum ſignificationum ſine ordine congeriem. Reſpondeo ex ſignificationibus ſupra dictis poſſe cōponi ſententias, & ordinatas loquutiones, vt fecit Diuus Hieronymus, explicando litte-

ras ; quibus incipiunt verſus, Pſalmi. 118.

Secundo probatur, quia in illo Pſalmo, & in Pſalm. 110. & 111. & 144. & in threnis, & in fine Prouerbiorum incipiunt Verſus à Litteris ſecundum ordinem Alphabeti Hebraici, quod ſignum eſt Dauidem, Ieremiam, & Salomonem aliquid per illas Litteras ſignificare voluiſſe: at in hoc titulo non procedunt Litteræ ſecundum ordinem Alphabeti; ergo nihil ſimul ſumptæ ſignificant. Reſpondeo prædictos auctores aliquid aliud, præter ſententias, quæ fiunt ex Litterarum ſignificationibus, ſignificaſſe illo ordine Alphabetico: Ieremias enim ſignificauit non poſſe omnibus Litteris etiam duplicatis, & triplicatis ſuum dolorem exprimere; & ita proportionaliter de alijs eſt dicendum. Cæterum ſi ad Litterarum reſpicimus ſignificationes, non eſt maior ratio, quare in Pſalmis citatis ſententiam aliquam ſignificent, quam in iſto Titulo, & in omnibus periodis teſtamenti veteris.

Concluſio eſt Litteras Hebræas in hoc Titulo, & alijs dictionibus & orationibus inſignibus, vt ſunt verbum *Bara*, in principio Gen. nomen ineffabile IeHoVaH, & Eli, Eli, la mazabachthani, & aliæ huiuſmodi, aliqua myſteria ſignificare. Multa enim ſunt, quæ in ver-

bis vitæ latent, quibus interpretes ſpirituales delectantur; carnales vero irrident. Quattuor ergo initiatiuæ Litteræ dictionum huius Tituli, ſcilicet Iod, Nun, Mem, Iod, hæc ſignificant:

Laus æterna ex his confeſsionibus.

Omnes vero Litteræ Tituli hoc poſſunt ſignificare:

Principium mutationis caritatis fons.

Progenies Charitatis. Iuſtitia, Paupertas,

Ex his doctrina humiliationis, (Laus.)

Cõfeſsiones iſtæ Charitatis; Tabulæ Laus ex his.

Prima ſententia, ſcilicet, Laus æterna ex his confeſsionibus; dupplici modo interpretari poteſt; primo ita vt illa verba *ex his confeſsionibus* referantur ad confeſsiones, quibus tres Linguæ confitentur Chriſtum Regem Iudæorum, ex quibus Laus æterna Chriſto paritur; æterna in quam ex parte laudantis, qui eſt Spiritus ſanctus; & ex parte laudati, qui eſt Chriſtus; vel ex parte ſanctorum, qui Chriſtum in cœlis adorant, tanquam Regem totius orbis. Secundo modo interpretari poteſt; ita vt illa verba; *ex his confeſsionibus*, ſignificent confeſsiones quę ſunt in quattuor verſibus ſequentibus, quę fiunt circa virtutē Charitatis, ad cuius duo pręcepta ordinantur non ſolum lex vetus, & Pro-

phetæ

phetæ, ſed etiam Euangelica Hiſtoria, per hac Tituli Tabulam deſignata; vt diximus in concluſione, art. 2. q. 2.

Ex quibus confeſſionibus prima eſt Chriſtum, qui eſt fons Charitatis, eſſe principium mutationis noſtræ, qua exuentes veterem hominem manemus per Charitatem, quaſi modo geniti infantes. Secunda confeſsio eſt hanc Charitatem, quam donat nobis Chriſtus, gignere in nobis iuſtitiam, quod non eſt intelligẽdum de termino ad quem iuſtificationis; quia hæc iuſtitia potius gignit in nobis Charitatẽ, ſed eſt intelligendum de iuſtitia morali, quam commitantur honeſte viuere, alterum non lædere, & ius ſuum vnicuique tribuere. Præterea hæc eadem Charitas gignit etiam in nobis paupertatem ſpiritualem, & laudem, dum nos facit laude dignos, & ab hominibus laudari. Tertia confeſio eſt ex paupertate, & laude gigni in nobis doctrinam humiliationis. Ex eo enim quod quis ſpernit diuitias, & paupertatẽ amat, & fugit laudes hominum, paulatim fit humilis. Ex his ergo confeſsionibus duo ſequuntur. Primum eſt. Laus æterna illis, qui faciunt eas corde, verbo, & opere. Alterum eſt dignam eſſe laude Tabulam Tituli Chriſti Domini; quę tã diuinas confeſsiones continet.

LAVS DEO.

POESIAS, QVE compuſo el Bachiller Diego Gutierrez, natural de Carcaboſo, Collegial del Collegio de Santa Cruz de Cañizales, y Cathedratico de Griego, quando la Vniuerſidad de Salamanca hizo las honrras â Philippo III.

DIRIGIDAS A don Antonio de Luna Enrriquez, hijo de don Diego Sarmiento de Soto Mayor, Conde de Saluatierra, Señor de Lobroſo, Aſiſtente de Seuilla, Mayordomo del Rey Philippo IIII. y Comendador de Galiçuela de Larez, del habito de Alcantara, y à don Iuan Enrriquez de Almanſa, hijo de don Francisco Enriquez de Almanſa, Conde de

Nieu-

Nieua Marques de Valderrabano, Comendador de Piedra-Buena del Orden, y Caualleria de Alcantara, Mayordomo del Rey nueſtro Señor, y Capitan de los cien Continuos,

(.?.)

A D. ANTONIO de Luna, y á don Iuan Enrriquez, &c. S.

DIZE Ariſtoteles en el cap. 7. del lib. 9. de ſus Ethicas hablãdo de los Poëtas, que aman ſus bras, ſupra modum, & perinde, atque ilios. *La experiencia confirma el parecer de aqueſte gran Philoſopho: y ſe echa*

bien de ver en mi; pues porque no perez-can eſtas mias por falta de perſonas, que puedan defenderlas, ſolicito el fauor de V. ms. cuya virtud acompañada con la nobleza illuſtre, y grande ingenio de V. ms. pueden facilmente acreditar mis mal limados verſos. Parece atreuimiento digno de caſtigo el dedicar à perſonas tan nobles tan pequeñas obras; ſi acaſo no es digno de perdonar, por ſer ierro de amor. El gran fauor, que ſiempre me han hecho V. ms. honrrando con ſu preſencia los actos publicos que he tenido en eſta Vniuerſidad inſigne, y acreditando mis eſtudios, me han hecho atreuido. No es mucho que ſe atreua quien confia. Guarde Dios à V. ms. por muchos años para aumento de la Republica Chriſtiana.

Capellan de V. ms.

Bachiller Diego Gutierrez.

CERTAMEN. VI.

REſonet inter hæc militaris Hiſpanica tuba,& Mamoræ, ac Larachis expugnationem. Mauroſque ab Heſperijs finibus ablegatos duodecim Octauis rhythmicis rotũdo ore, heroicoque proclamet boatu,&c.

DE Philippo Tercero las vitorias,
Que hizieron temblar â Berberia,
Dignas de eternizarſe con Hiſtorias,
Y con los dulces verſos de Thalia:
La toma de Larache, y las memorias,
Que dexò la Eſpañola infanteria,
En Eſpaña, y deſpues en la Mamora,
Dire dandome Dios ſu ayuda agora.
Ya ſurcauan el Mar con las Galeras,
Que con el viento en popa nauegauan;
Y deſplegadas todas las vanderas,
Haziâ Larache alegres caminauan.
Acercanſe los montes, y laderas,
Cuyos arboles ya ſe diuiſauan;
Llega la armada al puerto deſſeado,
Y deſcubre el Caſtillo torreado.

Era tanta la grita, y el ruydo,
Y el ſon de las trompetas, y atambores,
Que el enemigo oyendo el alarido,
Del mal futuro concibio temores.
Viendoſe derrepente acometido,
A menudo mudaua las colores,
Que el numero de balas, y cañones,
Haze temblar de Libya à los leones.
Las llaues entregaron, por no verſe
ſujetos à los filos de la eſpada:
Porque no era poſible defenderſe
De tanta multitud de gente armada.
Los nueſtros luego van ſin detenerſe,
A ſe hazer ſeñores de la entrada:
Y tomando à Larache breuemente,
Le guarnecieron de armas, y de gente.
Bueluen à Eſpaña donde ya tratauan,
Los traidores Moriſcos rebelarſe:
Armas ocultamente preparauan,
Para poder del Reyno apoderarſe.
Y quando ya otra coſa no eſperauan,
Sino buena ocaſion de leuantarſe;
Philippo les quitò el atreuimiento,
La Patria, la eſperança, y el contento.
Con preſteza admirable los ſoldados,
A la canalla vil lleuan por tierra:
Y por el mar los vaſos artillados,
Deſterran-

Deſterrandola le hazen cruda guerra.
Quando los de Valencia alborotados
Ocuparon la cumbre de vna ſierra,
Con propoſito firme, y juramento
De no deſamparar aquel aſiento.

Es aſpera la Sierra, y en altura,
Compite con las Nuues leuantadas.
De matas y peñaſcos la eſpeſura,
Y las eſtrechas ſendas poco vſadas,
Hazen aquella eſtancia mas ſegura,
Donde à penas de cabras ay piſadas.
Pero los nueſtros luego los cercaron,
Y con cebo de cabras los caçaron.

Vieronſe ſin penſar acometidos,
Y por diuerſas partes ſalteados:
Y quando no entendieron ſer vencidos,
Quedaron muchos dellos degollados;
Otros dexan las armas ya rendidos,
Y algunos de la rabia arrebatados,
En ſus pechos embainan las eſpadas,
Contra el campo Eſpañol deſembainadas.

A los que no acabò la cruda muerte,
A las arenas de Africa lleuaron.
Donde la hambre enojo, y baxa ſuerte,
En ladrones del mar los transformaron.
No ay lengua humana que â dezir baſte,
Los daños que eſtos perſidos cauſaron,

Iuntandoſe, y haziendo compañia.
Con Pyratas de toda Berberia.

La mayor parte de eſtos robadores,
En la Mamora fuerte ſe aluergaua;
Y de noche el ganado, y los paſtores
De las coſtas de Eſpaña ſe lleuaua:
Las caſas de los pobres labradores,
Y las naos de las Indias ſaqueaua;
Haſta que vio llegar a ſus riberas,
De Philippo la armada, y las vanderas.

Los brauos Eſpañoles ofendidos,
De aqueſta gente barbara arrogante,
Eſgrimen los eſtoques no vencidos,
Matando a quien ſe pone por delante.
De atropellados muertos, y heridos,
Se vio cubierto el campo en vn inſtante;
Que la furia Eſpañola, ſi ſe enoja,
Rayos de fuego en vn inſtante arroja.

Vnos ſe veen alli deſpedaçados,
Otros echan las almas por los pechos;
Eſte tiene los ſeſos machucados,
Y eſtos eſtan ſin braços, y con trechos:
Vnos ſin piernas, otros degollados
Dan todos teſtimonio de eſtos hechos;
Y la fama le da con voz ſonora,
De Larache, de Eſpaña, y la Mamora.

CERTA-

CERTAMEN VIII.

EPitaphium, quod lapis ſepulchralis cōmode capiat proſſa, vorſà ve facūdia; ſi hac, quattuor cōſtans iambicis ſenarijs puris: ſi illa vna grammaticali notitia, nullo interrupta relatiuo pro nomine, vnico verbo, &c.

EPITAPHIVM

Philippi Tertij Hiſpaniarum Regis.

PHilippus ille, qui Laracheas dedit,
Mamoreaſq; res Iberiæ, & Deo;
Imaginem ſimillimam dedit Deo:
Petunt cadauer aſtra, datq; Iberiæ.

Otro

OTRO EPITAPHIO
en proſa.

Perdiendo la vida, y el Reyno ganò Philippo Tercero vida mejor, y mayor Reyno.

CERTAMEN IX.

EPigrammatis Græco, Latino: Hiſpano, Luſitano, Italo Sonettis præſtantioribus faulta omnia Academiæ ſub noui Regis imperio precantibus & pollicentibus ſingulis ſingula ad tres aureos præmia promittuntor.

Epigrama Griego.

Σοὶ τί ὑπισχνῶμαι μῆτερ Μουσῶν Ἑλικῶνος
Πλὴν ὄλβον χρυσοῦν, ἀργύρεαν τε τύχην;
Δεύτερος ἐστὶ τρίτου, καὶ δευτέρου ὅς βασιλεύει
Δώῃ σῶι ὁ θεὸς τὸν δὲ φίλιππον ἀεί.

Traduc-

Traduccion del Epigrama Griego.

Madre de ſauer profundo,
Gran bien prometerte quiero;
Porq̃ ya Reyna en el mũdo,
El ſegundo del ſegundo,
Y el ſegundo del Tercero.
Yo que de tu edad dorada,
Como hijo, participo; *(da,)*
Pido à Dios Minerua ama-
Te dè ſiempre eſte Philipo.

Eſte Soneto es parodico, ſiẽ cõpueſto à imitacion de vno del Reuerendo Padre Angelo Grillo.

Soneto Italiano.

AVguſto il nome, auguſto il core, auguſti
I ſembianti, i penſier, l' opre, i coſtumi,

E tutti

E tuoi chiari, è glorioſi' lumi,
E caridoti de moderni Auguſti.
Per queſti al Re d' il ciel ſi caro fuſti,
Che ſempre vuol â te volger' i lumi:
E i detti tuoi ſi come di Numi
Fà che ſtimiamo noi con pregi giuſti.
O gemma pretioſa, onde ſ' auide,
Spagna ch' à i ſuoi theſori, Italia ancora,
Del oro, ch' â te manda, aßai piu degni.
Ognuno in te rimirà, in te ſ' honora,
Queſta Vniuerſitâ, ch' in tua fior vide,
Di ſua futura gloria i frutti, è i pegni.

EPIGRAMA

Hebreo, à Philipo Tercero, eſcrito con letras Latinas, por no las auer Hebreas en la Imprenta.

QI Leſon' ieuanith be lo emunàh,
Ha Chamothchà Achiles meſorèreth,
Tehalèl gàm leſon' ſe ha niqdéſeth,
Mélech, aſer' cazèb qadòs haiàh.

Traduccion

Digitized by Google

[illegible]

Traduccion del Epigrama Hebreo.

Pues que la Griega, ſin Fè
Achiles tu enojo canta,
Celebre la lengua Santa,
A vn Rey que tan ſanto fue.

¶ Aduierta el Lector que tuuiere poca noticia de la Lengua Italiana que la palabra, *auguſti*, que eſtà en el primero Verſo del Soneto precedente, [illegible] ombre adjetiuo, y quiere dezir *Im*[illegible]*iales*; pero la palabra, *auguſti*, del [illegible] rto Verſo, es nombre ſuſtantiuo, [illegible] ignifica Emperadores.

F I N.